



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 35. Henrici de Hassia, & Thomæ Walsingani obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

§. XXXV.

Sæcul. XV.

A. C. 1428.

*Henrici de Hassia, & Thomæ Walsin-
gani obitus.*

Refertur ad hunc annum mors Henrici *Dupin. Bibl.*
de Hassia, alias de Langenstein, Car- 12. p. 87.
thusiani, & in Parisiensi Facultate Theo-
logiæ Licentiati, necnon Thomæ de Wal-
singan Angli, Monachi ad S. Albanum.
Trithemius Henrico adscribit commenta-
rios in libros sententiarum, & in Genesin;
tractatum de Antichristo & schismate;
necnon opuscula contra Wicleffistas; tra-
ctatum de horis Canonicis, præter plures
alios. Dupinus eundem quoque scripsif-
se tradit tractatum de Conceptione im-
maculatæ Virginis, quo D. Bernardum
contra Fratrum Minorum disputationes
tuetur. Nec tamen confundi debet cum
alio quodam Henrico de Hassia itidem
Carthusiano, qui eodem quoque anno
mortuus, Præpositus erat Monasterii S.
Mariæ in Geldria. Eidem etiam attri-
buitur Commentarius in Magistrum Sen-
tentiarum, in Genesin, Exodum, Para-
bolas Salomonis, & Apocalypsin.

Thomas Walsinganus ad posteros
transmisit duplicem rerum Anglicarum
historiam: Prima, quæ magis succincta
est, ab anno Domini millesimo ducente-
simo septuagesimo tertio usque ad annum
Salutis millesimum quadringentesimum *Idem p. 88.*

Nn 2

vige-

Sæcul. XV.
A. C. 1428.

vigesimum secundum protrahitur; altera vero, eaque prolixior, orditur ab Anglia a Normannis capta, seu ab Anno Salvatoris nostri millesimo sexagesimo sexto usque ad sextum Henrici V. annum, scilicet millesimum quadringentesimum decimum septimum. Idem quoque continuavit Polychronicon Radulphi de Higden.

§. XXXVI.

Montargium obsidione liberatum, & Cenomanum a Gallis captum.

*Jean Char-
tier hist. de
Charles VII.*

Hoc anno Gallia plurimis obsidionibus, præliis, & tam domesticis, quam exteris turbis undique divexata alte ingemiscebat, quæ omnia articulatim impræsentiarum recensere non vacat, spectata Instituti nostri ratione; gesta enim, quæ Historiæ Ecclesiasticæ nullatenus connexa videntur, præterire statuimus. Paucis dixisse sufficiat, eo tempore nec urbem, nec pagum inveniri potuisse, qui suo non muniretur præsidio; quippe nil nisi propugnacula, & arces jam eminentibus collibus superimpositæ, jam ad flumina, & transitus, inque apertis castris exstructæ quaquaversum conspiciebantur. Omnes Nobiles suos quisque conducebant milites, seu ut verius dicam, scurrarum, & prædonum colligebant agmina, quæ tamen nonnisi civium ære ali debebant.

Ne